

0020 A 231  
6

Just:  
III. C. 1.



*h* DISPUTATIO HISTORICO-THEOLOGICA *f*  
TERTIA ET ULTIMA

DE  
**BULLARUM**  
**INDULGENTIARUM**  
**PONTIFICIARUM**  
**ANTIQUITATE FVCATA,**

Quam

DIVINA INDVLGENTE GRATIA,  
*Venerandæ Facultatis Theologicæ consensu,*  
In inclyta Academia Patria  
SUB PRÆSIDIO

**JOHANNIS BEHM,**

S. Theol. Doct. & Prof. Extraord. Græc. Ling. Ordin.  
PLACIDÆ ERUDITORUM CENSURÆ

*exponit*

**JOHANN. CHRISTOPH. DOBLIN,**

Hollandia Pruss. Phil. & S. Theol. Stud.

IN AUDITORIO MAJORI.

A. M. DCC XXIII. die 16 Jun.:

---

REGIOMONTI, Typis ZÆNCKERIANIS.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS  
IN PRUSSIA

CONSILIARIOS STATUS ET BELLÏ INTIMOS,  
*Illustrissimos, Excellentissimos et Genero-*  
*sisimos Dominos,*

DOMIN. ALEXANDRUM  
S. R. J. Burggravium & Comitem  
de DOHNA,

Et Wartenberg, Regiorum Exercituum Generalem Campi Ma-  
reschallum, magni ordinis aquilae Prussicae nigrae Equitem, Gu-  
bernatozem fortalitiÏ Pillaviensis, Capitanicum haereditarium di-  
strietus Morungenfis & Lipstadiensis; Dominum haeredita-  
rium Schlobitten, Herrendorff, Klein-  
heyde &c. &c. &c.

DN. CHRISTOPHORUM  
S. R. J. Burggravium & Comitem  
de DOHNA,

Et Wartenberg, Exercitus pedestris Regii Generalem, magni  
Ordinis aquilae Prussicae nigrae Equitem, Praefecturae Hollan-  
dientis Capitanicum, Dominum haereditarium terrarum  
Schlodien, Quitteinen, Hermsdorff &c. &c.

*Summos Musarum Maecenates, & Evergetas indulgentissimos elementissimos,*

Cum ardentissimis pro amplissima ILLUSTRIS FAMILIAE prosperitate  
nunquam minuenda suspiriis, humillima exiguae disputationis inscri-  
ptione, debita submissione venerari, EORUNDEMQÛE perillustre Patrô-  
cinium ac clientelam & sibi & Studiis suis supplex implorare debuit  
*subiectissimus servus*

Johannes Christophorus Doblin.

## §. XXX



Quantumvis ex hactenus adductis satis superque innotescat frustra prorsus, imo temere, Bullas Indulgentiarum Pontificias antiquitatis titulo superbitæ, placet tamen aliquanto adhuc prescius hanc Antiquitatis larvam iis detrahere. Quocunque autem hic animum contuleris maximam inter istas antiquas poenarum poenitentialium juxta Ecclesiæ canones impostitarum relaxationes ac præsentis Ecclesiæ Romanæ Indulgentias deprehendes differentiam. Quod itaque *initio* eos attinet, penes quos legitima est potestas Indulgentias tales poenitentibus concedendi, supra §. XI. e Can. V. Concilii Ancyranæ, Nicænicæ. V et XII. nec non can. IV. Epist. Canon. Gregorii Nyseni evistum est eandem potestatem omnibus in universum Episcopis concessam fuisse. Nec ulla etiam tunc temporis Episcopi Romani præ cæteris in hisce erat prerogativa, historia ejus temporis abunde id comprobante. In Ecclesia Romana e contra potestas hæc, maxime concedendi indulgentias plenarias, penes solum Pontificem est. Quamvis enim & ab Episcopis ac Metropolitanis, nec non Legatis Apostolicis etiam quandoque eas impertitas esse antea viderimus, limitata tamen ac dependens est omnis illa potestas. Etenim concessum quidem Episcopis ac Metropolitanis in sua diocesi aut provincia Indulgentias elargiri, cautum tamen, ne Indulgentiam unius anni in die dedicationis Ecclesiæ, vel quadraginta dierum aliis temporibus, de injunctis poenitentibus excedant. Probant id e vartis Juris Canonici locis, puta cap. Cum ex eo. it. cap. Nostro, de poenit. et remiss. nec non cap. Indulgentiæ. Præterea facere hoc dicunt Episcopos potestate delegata à Pontifice. Sicut enim ab eodem omnem accipiunt jurisdictionem; sic per eam etiam potestatem conferendi Indulgentias. Hujus rei hoc esse argumentum BELLARM. Lib. I. de Indulgent. c. 11. *alibi quod videamus à Summo Pontifice restrictam & limitatam Episcopis hanc potestatem fuisse, neque dubium sit, quin ab eodem penitus collata, vel etiam augeri & extendi possit. Quod si adeo immediate (puta à Deo) illam haberent, posset quidem Summus Pontifex interdiceret illis usum ejus potestatis, tamen si obstinate ea uti vellent, non posset Summus Pontifex impedire, quo minus ratum esset, quod ipsi fecissent. Multo minus vero Episcopis aut Metropolitanis faciunt potestatem plenarias,*

L

rias,

rias indulgentias concedendi; sed soli Papæ id proprium: Similiter cum Nunciis seu Legatis Apostolicis undiquaque quo missi sunt, Indulgentias largiuntur, non suo, sed Pontificis nomine & ex commissione vel generali, vel speciali id præstant. Quin eo progrediuntur omnes illi, quot quot Papæ auctoritatem supra Concilium etiam generale; extollunt, ut & huic facultatem indulgentias plenarias concedendi denegent, contradicentibus tamen aliis, FELINO Serm. de Indulg. n. 28. DOMINIC. à SOTO in 4. Dist. 21. qu. 1. art. 4. NAVARRO de Jubilæo Notab. 31. n. 2. CORDUBENS. qu. 12. de indulg. propos. 8. NATAL. ALEX. Diff. VIII. ad Histor. Eccl. N. T. Sec. XVI. T. VIII. p. 527. JO. LAUNOJO Epist. V. p. 147. 148. Imo reclamante Concilio Basileensis praxi ipsa, quippe in quo Sess. 24. asertum: posse et à Concilio generali plenarias concedi indulgentias. Contra quam asertionem frustra excipit BELLARM. l. c. non mereri hoc Concilium fidem aut ullam habere auctoritatem, cum Schismaticum fuerit; nec secluso Papa auctoritatem Papalem ullo modo eidem competere. Enimvero an Concilii auctoritatem supra Papam elevare schismaticum? sic profecto multæ Ecclesiæ inter ipsos Pontificios schismaticæ forent. Aut quid Conciliorum decretis, modo veritatem servant ac unicæ infallibili veritatis regulæ, Verbo divino conformia sint; auctoritate Papæ opus? Non Papa fallax; sed Dei eloquia omnibus modis certissima omnem decretis conciliorum conciliant Auctoritatem Act. XV, 28. In Summo Pontifice itaque omnem illam auctoritatem potissimum residere, huncque solum plenarias indulgentias omnibus fidelibus largiri posse probat BELLARM. l. c. primo ex exemplo Petri, cui proprie dictum: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum in cælis* Matth. XVI, 19. Huic autem Summo Pontificem succedere. Alteram rationem è Jure Canonico cap. Cum ex eo, de pœnit. & remiss. depromit, ubi in Papa esse plenitudinem potestatis ad concedendas indulgentias asertitur. Tertio denique praxin ipsam urget, cum notissimum sit, Summos Pontifices indulgentias plenarias re ipsa frequentissime concessisse. Quamvis jam rationibus hisce parum roboris insit; siquidem quod l. c. Dominus Petro concedit, qui uti nominæ cæterorum Apostolorum insignem illam de Christo Confessionem, quam ipse ab omnibus requisiverat, ediderat, ita & omnium nomine præclaram illam à Domino promissionem refererat, id Matth. XVIII, 18, Joh. XX, 23, omnibus impertitur; Nec Pontifex Ro.

Romanus etiam unquam probabit, se verum multo minus unicum Petri esse successorem. Sic & altera ratio æque militaret pro cæteris Episcopis, cum & in iis plenitudo potestatis, & quidem non ab homine, sed Deo ipso, eos ad ministerium suum vocante concessa conspiciatur. In ultima vero vacillat consequentia, siquidem Pontifex Romanus multo scæpius de facto sibi rapuit, quæ de jure tamen ei non competeant. De iis tamen jam solliciti non erimus. Sufficit ad propositum nostrum plenariam potestatem concedendi indulgentias ex mente Pontificiorum in solo esse Pontifice. Id quod & alii eorum rotundis verbis confitentur. ALEXAND. ALENS. part. 4. qu. 23. membr. 3. de Ecclesiæ thesauro ejusque Dispensatoribus locutus de his ita fatur: *Solis Episcopis competit ille thesaurus dispensandus, qui sunt sponsi Ecclesiæ. Inter hos Summus Pontifex præcipue, qui est totius universalis Ecclesiæ sponsus & rector, ipsi competit totius spiritualis thesauri dispensatio.* Id ipsum repetit BONAVENTURA in 4. Sent. dist. 20. part. 2. art. 1. qu. 3. Similiter & THOMAS in suppl. tert. part. summæ qu. 26. art. 3. Dicendum quod Papa habet plenitudinem pontificalis potestatis, quasi rex in regno. Sed Episcopi assumuntur in partem sollicitudinis, quasi iudices singulis civitatibus præpositi: propter quod eos solos in suis literis Papa fratres vocat, reliquos autem omnes vocat filios. Et ideo potestas faciendi indulgentias plene residet in Papa, quia potest facere prout vult, causa tamen existente legitima; Sed in Episcopis est taxata secundum ordinationem Papæ & ideo possunt facere secundum quod est eis taxatum & non amplius. Alios tam jacemus.

§ XXXI.

Secundo non potest illud antiquarum indulgentiarum nomine ex rei veritate venire, cujus ratio formalis plane ab ipsis diversa. Sicut itaque identitas formæ certum indicium rerum earundem: ita ex adverso ubi illa conspicitur diversa, & hæc quod sint diversæ manifestum. Ratio autem formalis utrarumque indulgentiarum, & istarum antiquarum, & harum recentiorum omnium optime è definitione earundem innotescit. Quod itaque attinet antiquas istas indulgentias bene eas Apologia Aug. Conf. art. VI. p. m. 198. definit: *Indulgentie olim erant condonationes publicarum illarum observationum, ne nimium gravarentur homines.* Nodernarum autem Indulgentiarum definitionem tradit BELLARM. de Indulgent. Lib. I, c. 8. sequentem: *Indulgentia sunt remissio pænæ*

Deo debita in foro poenitentiario extra Sacramentum data per applicationem satisfactionum, que in thesauro Ecclesie continentur. Ex quarum jam definitionum diligenti collatione sole meridiano clarius evadit, quanta in ratione formali utrarumque indulgentiarum discrepantia. Antiquae indulgentiae erant condonationes, mitigationes seu relaxationes publicarum illarum observationum i. e. gravissimarum operarum paenitentiarum ex praescripto canonum notoriis peccatoribus in horum commodum ac Ecclesiae scandalizatae satisfactionem impositarum, id quod fufius supra §. VIII. IX. X. XI. expositum ac comprobatum fuit. Modernae vero sunt remissiones poenae Deo debitae. Fingunt enim sibi hic Pontificii, peccatorem, quantumvis in foro poenitentiario plene absolvatur a reatu non modo culpa, sed & poenae aeternae, reum tamen adhuc manere luendae poenae temporalis vel hic, vel in purgatorio. Ab hac autem liberari caedantibus hisce indulgentiis, Et quidem si in vivis fuerit per absolutorem & erogationem ex Ecclesiae thesauro factam; Quodsi autem hinc excesserit, per solam compensationem, applicando eidem e thesauro isto, quantum ad compensandam poenam satis sit. Ultramque pluribus adstruere conatur BELLARM. l. c. c. 7. quanquam rationibus plane stramineis. Notandum hic probe, aliam quondam Pontificibus circa hanc rem sedisse mentem, dum indulgentias non modo poenae, & quidem temporalis, verum & culpa remissionem esse palam profitebantur, quo sic indulgentias, maxime quas in Jubilaeis concedere consueverunt Pontifices, tanto efficacius commendarent. Innui id ipsum docebant voce *plenaria* vel *plenisima*, quae quandoque in Pontificum Bullis indulgentiarum comparebat. Hanc ipsam mentem sedisse Bonifacio VIII. primum Jubilaeum celebranti confidenter asserit JOAN. ANDREAE apud CHEMNIT. Exam. Conc. Trid. Part. IV. c. 4. p. m. 127. scribens, quia in adventu Christi annus Jubilaeus legalis typicus finitus & verus Jubilaeus inchoatus, ideo Bonifacium rationabiliter annum Jubilaeum ad plenarias indulgentias constituisse. Papam autem interrogatum, quid sit plenissima indulgentia, respondisse in Consistorio: Esse indulgentiam adeo plenam, prout clavium potestas se extendit. Ita mentem Papae exponit etiam Glosator, qui quamvis initio indulgentiam peccatorum è Scholasticis de poenis pro peccatis debitis interpretetur, paulo post tamen mentem recolligit, dum ad quaestionem, quare Bonifacius non quinquagesimo, sed centesimo anno constituit Jubilaeum ita responderet: *Quod*  
*is.*



73  
in Jubileo contritis & confessis duplex indulgentia concedatur, culpe  
videlicet & pœne. Adijt præterea: Per istam indulgentiam fit totalis  
culpe remissio & totius pœna indulgentia & quia talis est sine obligatio-  
ne ad pœnam, si sic moritur, statim evolat & habet ingressum domus  
cœlestis. In Clementina vero, Abusionibus, eadem glosa ita hac de re  
loquitur: Plenissima peccatorum remissio est à pœna & culpa, quam  
solus Pontifex concedit cruce signatis, pro subsidio ultramarino. Ac-  
commodarunt se hic etiam curiæ Romanæ Scholastici Doctores recentio-  
res. PETRUS DE PALUDE in eo differentiam inter indulgentiam  
plenam & plenissimam collocat, quod plena dicatur, quæ remittit pœ-  
nam peccatorum, tum venialium, tum mortalium; plenissima vero  
audiat, quæ non solum a pœna sed & culpa absolvit, eo quod indul-  
gentia cujusdam absolutionis habeat rationem. FRANC. MAYRONIS  
alio adhuc argumento id confirmare studet: Charitas inquit, meretur  
augeri, sed exsistentes in gratia per opera meritoria merentur argumen-  
tum gratiæ. Per gratiam vero fit remissio culpe, atque ita indulgen-  
tiæ valent ad remissionem culpe & pœne. Imo quidam eorum, nonen-  
te Summa Angelica, eo progressi, ut dicerent, et inferni pœnam per  
indulgentias remitti. Haud parum roboris vulgatæ huic opinioni exin-  
de quoque accedebat, quod cum Pontifices ante hac in Bullis suis hac  
vsi essent formula: remitti vel totum, vel partem de injunctis pœnitenti-  
is: Aut fieri remissionem vel totalem, vel partialem pœnæ tempora-  
lis pro peccatis debitæ, jam generalioribus uterentur terminis: plenam,  
plenioram, plenissimam omnium peccatorum veniam concedi & indul-  
geri. Sicut vero & tunc jam aliis Scholasticorum veterum hæc displice-  
bant, qui propterea nimis laxas ac incautas illas locutiones restringere  
allaborabant: Quamvis plenaria indulgentiæ vulgariter nuncupentur à  
culpa & pœna, locutio tamen talis proprie non est vera, quia culpa  
solus remissor est Deus autoritative Es. XXXIV, potest tamen sic sanari  
dicta locutio, ut remissio culpe referatur ad contritionem & confessio-  
nem, que præexigitur ad consequendam indulgentiam, qua ordina-  
tur ad remissionem pœnæ temporalis debitæ pro peccatis commissis parti-  
alem, vel totalem, inquit ANTONIUS. Ita hodiernum communiter non-  
nisi pœnam temporalem per indulgentias remitti docent. Ne autem sibi  
obstant istæ Pontificum in Bullis formula, quomodo eæ intelligendæ sint,  
exponit BELLARM. l. c. ita scribens: Itaque si quando in literis indul-

gentiarum legatur concedi absolutionem à culpa & pœna: intelligendum est id propterea dici, quod indulgentia conjungitur ordinariè cum Confessione sacramentali & facit, ut qui per Sacramentum pœnitentiæ fuit absolutus à culpa, per indulgentiam absolvatur à pœna. Pari ratione cum dicunt Pontifices, se per indulgentiam absolvere pœnitentes à peccatis vel condonare omnia peccata, vel dimidiam aut tertiam partem peccatorum, semper loquuntur de peccatis quoad pœnam, non quoad culpam, quæ ante indulgentiam remissa esse creditur. Transigant hic inter se Pontifici quocunque modo velint, nobis perinde, quandoquidem utraque sententia abunde diversitatem indulgentiarum modernarum à pristinis illis declarat. Modernæ sicut relaxationes seu culpæ, seu pœnæ Deo debitæ. Pristinæ neutrum erant, quin tantum mitigationes seu relaxationes pœnarum canonicarum, quibus pœnitentes Ecclesiæ scandalizati satisfacere tenebantur. Nec ad alteram etiam vitam, seu purgatorium, quippe non-ens, iis ignotum, sed præsentem tantum spectabant.

## S. XXXII.

Porro in indulgentiis Pontificiis remissio pœnæ illius Deo debitæ obtingit per applicationem satisfactionum, quæ in thesauro Ecclesiæ continentur. Vid. præter ea, quæ supra §. XVIII. adducta, BELLARM. l. c. c. 2. & 3. Iterum præter piam istam ac incorruptam antiquitatem: Nil eadè commentitio Ecclesiæ thesauro è passionibus Christi & Sanctorum, quibus ipsi non eguerunt ad propria delicta expianda & tamen non perire, sed permanent ante oculos Dei, constante. Nil item de applicatione aliis inde facta. Quin hisce contraria docuit. Sic enim TERTULLIAN. Lib. de pudicitia c. 22. T. V. p. 1014. Sufficiat martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est in alios quoscunque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Dei filius? Nam & in ipsa passione liberavit latronem. Ad hoc enim venerat ut ipse à delicto purus & omnino sanctus pro peccatoribus obediret. Proinde qui illum emularis donando delicta, si nil ipse deliquisti, plane patere pro me. Si vero peccator es, quomodo oleum facula tua sufficere & tibi & mihi poterit? BASILIUS M. homil. in Psal. XLVIII. T. I. p. 240. Is, qui de propriis peccatis non est idoneus aliquo munere placare Deum, quomodo pro alio id facere tentabit? Quid enim adeo magnum in hoc Seculo quis  
pos-

possideat, ut dignam habere anime valeat commutationem? propterea quod illa ad creatoris est imaginem facta. Qua autem, quamlibet molesta, afflictio & labor presentis seculi sufficere poterit ad parandum humane anime futuri illius seculi viaticum? - Neque igitur fratrem suum alius quivis frater redimere poterit, neque unusquispiam se ipsum: quod redemptor tanto esse debet captivo et jam servienti prestantior. Sed & ne in univrsum quidem homo erga Deum ea prae datus facultate est, ut ipsum placet pro peccatore, quam & ipse sit peccati reus. Omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei. AUGUST. Tract. 1. in Epist. Johan. T. IX. col. 581. Videite ipsum Johannem servantem humilitatem, certe vir justus erat & magnus, qui de pectore Domini mysteriorum secreta bibebat. - Ille talis vir non dixit, advocatum habetis apud Patrem; Sed, si quis peccaverit, advocatum, inquit, habemus: non dixit habetis, nec me dixit, nec ipsum Christum habetis dixit, sed & Christum posuit, non se: & habemus dixit, non habetis. Maluit se ponere in numero peccatorum, ut haberet advocatum Christum, quam ponere, se pro Christo advocatum et inveniri inter damnandos superbos. Pulchra item sunt illa LEONIS Epist. 83. ad Palaestinos Episcopos c. 4. p. 150. Quamvis multorum Sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insonis occiso propitiatio fuit mundi. Acceperunt justi, non dederunt coronas & de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientia, non dona justitiae. Imo nullam hujus thesauri ac exinde factae applicationis apud antiquos fieri mentionem agnoscit BELLARM. cum l. c. c. 3. confitetur, Pontifices, qui temporibus Tertulliani & Cypriani, vel ad Martyrum intercessionem, vel aliis de causis remissionem poenae fecerint, non dicere, se ex thesauro satisfactionum indulgentiam dare. Ne autem haec invite facta confessio hypothese suae quidquam praedjudicet, statim addit: non omnino tamen de thesauro siluerunt, ut statim dicemus. Adductis hinc Tertulliani ac Cypriani testimoniis, quae supra §. VI. dedimus, subjicit: Id quoque observandum est, Episcopos dare solitos indulgentias ad preces Martyrum, non solum ut Martyres honorarent, & ad consummandum martyrium accenderent, sed etiam quia videbant merita Martyrum posse communicari penitentibus & acceptari passionibus eorum pro satisfactione, qua lapsis penitentibus deerat. Atque ita vetus etiam Ecclesia ad thesaurum respiciebat cum Indulgentias daret. Verum manifesto hic Bellarm. petit *to év dixij* opinatus, ere-

didit.

didisse veterem Ecclesiam Martyrum merita pœnitentibus communicari posse, eorumque passiones pro satisfactione, quæ lapsis pœnitentibus deerat, acceptatas fuisse. Contrarium potius è modo adductis DD. testimonio constat, quippe qui omnes uno ore consentunt, in nullo hominum, præterquam Christo, ullum esse meritum, quod alteri ad satisfactionem Deo præstandam imputari possit. Vana ergo quæ inde elicitur conclusio. Excipit BELLARM. l. c. Tertullianum id quidem loco paulo ante adducto negare, verum notandum esse, hæc ab eodem dicta fuisse postquam jam hæreticus factus esset; aliter eundem hæc de re Lib. ad Martyres c. 1. loqui Reip. 1. Non omnia hæretica sunt, quæ dicunt aut scribunt hæretici, sed tunc saltem id verum, cum aliquid asseritur quod contra orthodoxam doctrinam hæresi proprium. Quamvis itaque Tertullianus in eo quidem ab orthodoxa Ecclesiæ doctrina defecerit, quod moechis aliisque facinorosis pœnitentiam denegarit; in ratione tamen quam adfert, quod nempe martyr passiones suas in alios spargere non possit, cum ipsi sufficiat propria delicta purgare, nil heterodoxi, quin communem Ecclesiæ Doctrinam consistit, 2. Nec etiam Lib. ad Martyres c. 1. asserit Martyrum passiones aliis communicari posse; sed hoc saltem docet, moris fuisse pacem Ecclesiæ à martyribus in carcere exorare i. e. litteras intercessorias apud Ecclesiam aut Episcopum, ut remitteretur pœnitenti aliquid de pœnis canonicis, expetere, Conf. §. XIII. dicta. Nil hic de satisfactionibus superabundantibus, nil de earundem asseruatione in Ecclesiæ thesauro, nil de applicatione pœnitentibus facta. Denique Indulgentiæ in Ecclesia primitiva pœnitentibus concedebantur ante illis datam Ecclesiæ communionem. Erant enim relaxationes pœnarum canonicarum certo temporis spatii definitarum, ita ut ante earum complementum pœnitentes ad Ecclesiæ communionem admitterentur. Hæc autem illis concessa nil amplius pœnalia operum imponebatur. Vid. §. XI. dicta. Indulgentiæ Pontificiæ ex adverso demum post datam absolutionem, adeoque hominibus in statu gratiæ constitutis & ad communicationem Ecclesiæ jam tum admittis conceduntur. Sunt enim remissiones pœnæ Deo debitæ in foro pœnitentiarum, extra Sacramentum, scilicet Pœnitentiæ sive absolutionis, datæ, ut sonat earum definitio. Cum quibus tamen quomodo conveniant, quæ BELLARM. Lib. II. de Indulg. c. 12. scribit: *Non dicunt Pontificii post remissionem culpæ, i. e. post absolutionem sacerdotalem, imponen-*

ponendas penas satisfactorias: sed dicunt imponendas ante absolutionem, quamvis post absolutionem adimplenda sint, nisi fuerint antea adimpleta. Non enim multum refert, utrum impleantur ante absolutionem sacerdotis vel postea, modo impleantur in statu gratiæ, qui status gratiæ obtineri potest per veram contritionem & propositum Confessionis suo tempore faciendæ, non capio. Negat hic pœnas satisfactorias imponi post absolutionem; cum tamen indulgentiæ quæ sunt pœnarum harum redemptiones, extra Pœnitentiæ Sacramentum concedantur.

§. XXXIII.

Tertio Indulgentiæ antiquæ mere erant gratuitæ, nec vel ob opus pœnale præstitum, vel oblatam ac numeratam pecuniæ summam concedebantur. Etenim pœnitentes tales vel integrum operum pœnalium juxta Ecclesiæ canones sibi impositorum stadium expleverant; vel ex parte tantum exsolverant. Jam sicuti in primi generis pœnitentibus indulgentiis opus non erat, quin ipsæ nullum hic inveniebant locum, cum nil superesset, quod relaxari posset; Ita si in postremis ob opera pœnalia eadem fuissent impertitæ, aut omnibus simpliciter & in communi in eodem pœnitentiæ vel tempore, vel gradu constitutis fuissent concedendæ: aut injuste egissent Episcopi, eadem existente causa, huic pœnas relaxantes, alteri non item. Alia prorsus tunc erant causæ relaxationem talem suadentes supra §. XII & XIII. expressitæ. Modernæ autem si non meritoriz, siquidem id THOMÆ in 4. dist. 20. qu. 1. art. 3. aliisque cum eo displicet, venales tamen sunt. Pro hoc ultimo probando si non sufficiunt, quæ §. XXVII. XXVIII & XXIX. adducta, sequentia insuper notentur. Notissimi sunt versus Biturigibus in templo Cathedrali D. Stephani ad altare Cardinalis lapidi inscripti, quos Hermannus Wecheldius J. U. D. & Consul Lubecensis propria manu diligenter descriptos Chemnitio communicavit, hic autem Part. IV. Exam. Concil. Trident. c. 4. p. m. 132. publicavit ac ita se habent:

*Hic des devote, caelestibus associa se,  
Mentes egrotæ per munera sint tibi lotæ,  
Ergo veniote gentes à sede remota.  
Qui datis, estote certi de divite dote,  
Te precor, accelera, spargas hic, dum potes, ara,  
Et sic revera secure callica spera,*

M

o f

O si tu scires, quantum data prostr tibi res,  
 Tu juxta vires donares, quod dare quires.  
 Te misera pœna, dum tempus habes, aliena,  
 Ut tibi sit pœna venia, sit aperta crumena.  
 Consors cœlestis fabrica, qui porrigit, est is,  
 Ex hoc sum testis, vos hic mundare potestis,  
 Crede mihi, crede, cœli donaberis æde,  
 Nam pro mercede Christo dicis, mihi cede.  
 Hic datur exponi paradisus venditioni,  
 Currant ergo boni rapientes culmina throni.  
 Vis retinere forum, mihi pendas pauca obulorum,  
 Pro summa quorum reserabitur aula polorum.  
 Hic si large des, in cælo sit tua sedes.  
 Qui serit hic parce, parce comprehendit in arcei  
 Cur tardas? tantum nummi mihi des aliquantum,  
 Pro solo nummo gauderis in æthere summo.

Habet eos & GOELNITZIUS Ulyss. Gallo-Belg. p. 272. Pro-  
 bant id præterea anales Civitatis Alsherslebensis ad A. 502. è  
 quibus JO. JAC. STÆCKER in Hist. Reformat. Alsherslebens.  
 ens. p. 9. sequentia notat: Dis Jahr ist durch Mildigkeit  
 des Väter Pabstes eine grote milde Begnadung geschehen / dat Zus-  
 belz Jahr ist gesandt worden ofer de ganze Werlet / so dat alle denen /  
 de gebichtet hebben / sind Pyn und Schuld vergeben. Die hefft og  
 vor de Lebendige und Doden mögen inlegen in den Afflat Kasten / ock in  
 de sewen Kercken gan / dat se von Stunden an ut allen Pynen erlöset  
 worden / wenn man so vele als ein Wunsche eine Wecke verieren fündt /  
 in den Stocf lede / man köndte ock vor 1 Orts fl. ein Bichte Breiff lo-  
 sen / da mans eins am Lebende von allen Sünden kan absolvirt wer-  
 den / und alle Wege im Articul des Todes und noch stedes von allen  
 Sünden / wente up des Pabstes Säckle absolvirt werden. Diese  
 grote Gnade stund alhier von Petri Pauli, wende up Crucii, de Stocf  
 war mit 3. Schloten verwahrt / einen Schlüssel hatte v. g. 2. einen de  
 Commissarius der Gnaden / und einen der Nacht / und ward uth der  
 Kercken up dat Rathhus gesat. Imo omnium luculentissime loquun-  
 tur Taxæ Cancellariæ Apostolicæ, in qua singul. peccata levisimæ &  
 gravissima certo æstimantur pretio. In specie Tit. XXXIV. de indul-  
 gen-

gentiis, unius anni indulgentia pro hospitali & capella æstimatur grossi XVI. duorum annorum gr. XX. trium gr. XXIV. quatuor XXX. quinque XL. septem L. tertie partis peccatorum C. & ita consequenter. Negant equidem adversarii, pudore quippe hic suffusi, quodque non invenient, quod regere possint, Librum talem unquam à Pontificibus publicatum fuisse, quin in opprobrium eorum confictum esse. Verum frustra. Contrarium testantur tot Taxæ hujus à Johanne XXII. Pontifice Rom. concinnatæ, à Pio II. vero vel Leone X. reformatæ editiones etiam ante motum à Luthero certamen ab ipsis Pontificiis adornatæ. Prodiit primum Romæ A. 1512. apud Marcellum Silber in campo Floræ. Mox Colonia Agripp. 1515. apud Gosuinum Colinium, ac ibidem iterato 1523. Parisiis A. 1520. apud Toslanum Denis. Venetiis 1584. in Oceano Juris Tom. XV. Part. 1. fol. 368. ac alibi. Loquuntur id etiam quorundam cordatorum Pontificiorum super hac re querelæ. Omnium infar esse potest CLAUD. ESPENCÆUS Doctor Parisiensis, testis omnium exceptione major, quem ipse ANDR. SAUSSAY Episcopus & Comes Tullensis in continuat. Bellarm. de Script. Eccles. n. LXV. p. 44. vocat præstantissimum, de Ecclesia periculosis temporibus laborante bene meritum theologum, THUANUS ad A. 1571. Lib. 50. Hist. p. 562. à moderatione summo opere commendat, deque tollenda ex Ecclesia scisfura serio semper cogitasse affirmat. Verba Espencæi jam è comment. ad Tit. c. 1. voce Turpililucii p. 479. hæc sunt: *Prostat & in questu pro meretrice sedet liber palam ac publice hic impressus & hodieque, ut olim, venalis, Taxa Camera seu Cancellaria Apostolica inscriptus, in quo plus scelerum discas licet, quam in omnibus omnium vitiorum summis & summaris, & plurimis quidem licentia, omnibus autem absolutio empturientibus propofita, parco nominibus, nam quod ait, nescio quis:*

Nomina sunt ipso pene imenda sono.

*Mirum hoc tempore, hoc Schismate, non suppressum tot tamque foedorum, tamque horrendorum scelerum velut indicem adeo infamem, ut non putem in Germania, Helvetia & ubicunque à Sede Romana defectum est, opus prostare majore hujus scandalo. Adeo tamen non supprimitur ab Ecclesia Romana favisoribus, ut tantorum ac talium facinororum licentia & impunitates, in facultatibus Legatorum illinc huc venientium, bona ex parte innoventur atque confirmantur. Enumerat inde crimina, quorum impunitas pretio venditur et tandem concludit:*

M 2

Habe-

*Habeat jam Roma pudorem & tam nullius frontis criminum, omne genus catalogum prostiuerit desinat.* Exclamat inde è MANTUANO.

*Hæu! Rome nunc sola pecunia regnat.*

Provoeant ad eandem quoque Protestantæ Germaniæ Principes in luculenta deductione causarum reculati Concilii Tridentini p. 603. & 644. ut talem, quæ non ab ipsis conficta esset; id enim & nimium audacter, & vane quoque factum fuisset, sed quam ipsi Pontificii in præxi servabant. Excipiunt adversarij, depravatam eam esse ab hæreticis, ac eapropter quoque in omnibus indicibus expurgatoriis prohibitam. Ast necessum hic est, ut depravationis istius adornent demonstrationem, priusquam factam eam esse impudenter clament, recte hic momente DAN. FRANCO Disquis. de Pap. Indicibus Libr. Prohibit. c. VII. p. 115. Vera potius prohibitionis causa pudor, quo non poterant non suffundi ad ejus vel saltem recordationem. Hanc Apostolicam Taxam nonnullos Episcoporum aliis in locis similiter imitatas esse conjectare licet è Bulla Hugonis Constantiensis Episcopi publicata ab HOTTINGERO Hist. Eccl. Sec. XVI. Part. 3. c. 2. n. IX. p. 132. sequi qua cum anadvertisset, casuum Episcoporum examen non Constantiam sicut religiose factis de ferri; sed se inscio, in aliorum sinum deponi, Tigurinae Ecclesiæ curatis in mandatis dedit, ut ipsi reservatos casus expenderent & delinquentibus pœnam injungerent. Addita sub finem, taxa Episcopalis. Nolut tamen taxam hanc publicari. Denique notetur hic præter istud Honori III. ad S. Franciscum simile illi apud GREG. NAZIANZ. Orat. 2. in Julian. p. 108. *ἀνευ χαλκῶν Φοῖβον μὴ μαντεύσθαι, non esse consuetudinis Apostolica sedis indulgentiam gratis facere*, ingenua ÆNEÆ SYLVII postea Papæ, sub nomine Pii II. Epist. 66. ad Jo. Peregallum, confessio: *Nihil est, inquit, quod absque argento Romana Curia det, ipsa manuum impositio & Spiritus S. dona venduntur, nec peccatorum venia nisi nummatis impenditur.* Quanquam nec hoc negare velim, indulgentiarum vilitate per Lutherum detecta, evertisque ad exemplum Salvatoris Job. 11. 14. 15. mummulariorum mensis hinc inde in Ecclesia positus, & earundem valorem concidisse, ut nemo amplius eas vel teruncio emere vellet; coactos itaque fuisse Pontifices mercem hanc, ne penitus negligenter, gratis suis offerre, prout id de Gregorio XIII. refert WAGENSEILIUS Synops. Hist. Univerf. Part. 3.



81

pi 79. Conf. MAR. ANT. DE DOM de Republ. Eccles. Lib. V. c. 8. §. 36. sequi p. 247. Priusquam tamen hæc mittam, quæ BELLARM. hic obicit, breviter refellenda erunt. Negat quidquam in indulgentiis vel vendi, vel emi; sed saltem eleemosynas à Pontifice Romano impositas solvi: neque ipsum inde quidquam lucrari, sed pauperes adjuvari. *Eleemosynas quidem, aliaque pia opera Pontifex Maximus solet injungere, cum indulgentias tribuit, non tamen ut emantur indulgentiæ (neque enim ea pecunia ad Pontificem, sed ad pauperes pervenit) sed ut exerceantur in operibus bonis Christi fideles & ut aliorum liberalitate miserorum inopia succurratur*, scribit Lib. II. de Indulg. c. 9. Idem contra Hottingerum negat ALLATIUS p. 223. Verum non eleemosynas mediantibus indulgentiis colligi, sed thesaurum Papæ locupletari & præsentati §. & supra §. XXVII. XXVIII. XXIX adducta clare testantur. Aliud etiam eleemosynæ, aliud nummi pro expeditione ac concessione Bullarum indulgentiarum numerari. Eleemosynæ bonum ac à Deo præceptum opus Matth. XXV. 35. sequi Hebr. XIII. 16. Numeratio autem pecuniæ pro indulgentiarum Bullis Stimonæ species Deo exosa Act. VIII. 20. Pseudo-Apostolis autem communis 2. Petr. II. 3-13. Illa autem spontaneo citra aliud bonum inde reportandum funduntur; Hæc propter consequendas indulgentias, quodque aliter non concedantur. Falsissimum item pecuniam inde collectam ad pauperes pervenire. Quis enim Pauperum ea sublevatur? nisi forte ditissimos ac delicatulos Papæ Ne-potes ac consanguineos in pauperum horum censum referre velis. Adjuvantur autem sumptus Papæ, ejusque thesaurus. Velim hic expendi ista TOLETI Inst. Sacerd. Lib. V. c. 89. *Disco non esse murmurandum contra Papam, quod exigit pro his pecuniam, non per modum prætiii. Nam ista ad sustentationem datur. Quia malis indiget tanta in Ecclesia dignitas.* Excipit BELLARM. l. c. c. 10. Abusum Quæstuariorum Pontificibus Rom. a deo semper displicuisse, ut eos publicis constitutionibus damnarent. Resp. Quid juvat verbis aliquid interdicare ac damnare, ipso facto autem aut exercere, aut alere. Tale quid autem Pontificis Rom. circa indulgentiarum mundinationes præstitisse superiorum temporum historia comprobavit. Emisere in orbem Quæstuaris suos, facti eorum approbarunt, sumptusque collectos, citra redargutionem receperunt. Aut cur Papa Leo X. turpes istos quæstus Tertulii non improbat, si adeo sibi displicebant? Verum non

non abusus tantum, sed & ipse usus hic malus; quod quondam agnovit Urbanus VI. qui referente THEOD. à NYEM Lib. 1. de Schism. c. 5. ad quendam fructuum cameræ papalis collectorem sibi certam pecuniæ summulam offerentem dicebat: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Utinam vero posteriores ejus cogitationes cum hisce prioribus respondissent, sic non credo ipsum terminum Jubilæi à quinquagesimo ad trigessimum tertium annum reduendum fuisse.

## S. XXXIV.

Quarto est & illud Bullarum indulgentiarum Antiquitatis fucatae haud contemnendum argumentum, quod à prima earundem origine nunquam defuerint, qui iis vel palam, vel, cum magna Papæ auctoritate ac tyrannide territi facere id non audent, privatim se se opponerent. Vix excogitatum erat hoc aucupium ac quæstores Romani magna liberalitate novas has indulgentias erogare inceperant, et variæ statim enatæ sunt disputationes ac judicia. Alii indulgentias tales in dubium vocabant: alii penitus oppugnabant. Argumenta, ut ex antiquorum Scholasticorum scriptis colligere licet, sequentia potissimum erant. 1. quod nec Scripturæ testimoniis, nec Veteris Ecclesiæ exemplis novæ illæ indulgentiæ probari possent. 2. quod mandatum divinum esset, facere fructus dignos poenitentia, ejus vero relaxandi aut remittendi potestatem Ecclesiam non habere. 3. Veterem Ecclesiam non sine causa constituisse canonicas illas multas seu castigations, quarum remissio esset enervatio disciplinæ Ecclesiasticæ. Cœteri palam eas impugnare non audentes oblique aggrediebantur, varia de valore ac effectu indulgentiarum movendo dubia, notante Glos. 5. tit. 38. c. quod autem. Nonnulli dicebant, valere indulgentias non in foro Dei, sed Ecclesiæ tantum, posse ergo Ecclesiæ prælatos hic dispensare. His se opposcentes alii, valere eas etiam in foro divino asseriebant. Tertii generis ex ipsis Pontificum decretis tit. de poenit. & remis. c. Deus qui &c. evincere conabantur, veteres canones poenitentiales jam tunc collapsos & antiquatos fuisse, poenitentiamque factam arbitrariam, ita ut arbitrium discreti Sacerdotis satisfactions moderari posset; Proinde non opus esse istis indulgentiis nec in foro Dei, nec in foro Ecclesiæ: Ecclesiam tamen illas prædicare, ut filios suos bona quadam deceptione ad bonum alliciat, sicut mater fioliolo pomum quidem promittit, non autem donat. Denique quidam  
rem

rem valde periculosam esse concedere indulgentias, ac concedentem eas obligare se ad satisfaciendum pro altero, profitebantur. Et quamvis se hisce non multo post opponerent Scholastici novas indulgentias novis inventis amplificantes hominibusque commendantes, successu adeo felici, ut tum Lateranense tum Viennense concilium abusiones quæstorum ad extorquendum aurum fallaci ingenio excogitatos reprehendere et condemnare necesse haberet, surrexere tamen subinde alii Curia Romanæ hæc in re contradicentes. Quos inter præter Concionatores haud paucos in Suevia circa A. 1240. libere pro suggestu confidentes, mandatis Papæ non esse obtemperandum, se annunciare indulgentiam non à Papa concessam, non à Prælatiis compositam, sed ab omnipotenti Deo per Christum concessam, ut habent Paralipomena VRSBERGENSIS p. 352. CRANTZIUS item Saxon Lib. VIII. c. 16. p. 213. initio laudamus Waldenses, alias et pauperes de Lugduno appellatos. Hos celebres tunc temporis Ecclesie Romanæ indulgentias impugnasse testes sunt REINERUS Lib. contra Waldenses c. 5. Tom. IV. Bibl. Magn. PP. Paris. col. 751. PETR. PILICHDORFIUS Lib. contra eodem c. 10. eod. Tomo col. 802. BZOVIVS ex actis antiquis ad A. 1270. n. 12. Tom. XII col. 795. eos excepit IOH. WICLEPHUS Anglus, theologus tunc temporis summus, qui Lib. IV. Trialogi c. 32. p. 153. libere confitetur: *Eateor quod indulgentia Papales si ita se habeant, ut dicuntur, tunc sapiant manifestam blasphemiam: Dicitur enim, quod Papa præterdit, se habere potentiam - ad præcipiendum sanctis angelis, ut anima separata à corpore indilate ipsam deferant in requiem sempiternam.* Nota sunt et hæc ejus verba: *Consulendum est fidelibus, ut non petant Curiam Romanam ad Papales Indulgentias, vel absolutiones a pœna & culpa sibi & aliis impetrandas, quia Dominus totius mundi non vult in tali brevi vel angusto loco coarctari: sed in cælo existens perpendiculariter cuilibet poenitentiam agentis, paratus est ad lumen sua gratia influendum.* Wiclephi scripta in Bohemiam delata mox in partes suas pertraxere IOH. HUSSUM & asseclas, accedente quod Johannes XXIII. contra Ladislaum Regem Neapolitanum bellum suscepturus novas indulgentias bellum hoc suscepturis proclamasset. Sic enim Concilii Constantiensis contra Wiclephitas ac Hussitas habiti art. XIX de Joh. Hufs asseritur, eundem docuisse: *Quod indulgentia Papales*  
Epi-

*Episcopi nil profert.* CONRAD. WIMPINA quoque primum Husitarum articulum hunc ponit: *Indulgentias Papa ad liberationem animarum nullius esse valoris: imo ob Clericorum duntaxat avaritiam excogitatas & inventas.* Comprobant id etiam AENEAS SYLVIVS Hist. Bohem. c. 25. JOH. DUBRAVIUS in Hist. Bohem. c. 23. JOH. COCHLÆUS Lib. 1. Hist. Hussitarum. Secuti sunt HIERONYM. PRAGENSIS ac Bohemi, qui cognitis indulgentiarum imposturis, non modo iis contradixere, sed et indulgentiarum quæstores in carceres conjecere, ut cit. WIMPINA art. XI. contra Hieronym. Pragensem refert, memorabilem superaddens historiam, quæ Pragæ A. 1417. post octavas Pentecostes contigit. Cæperat impudens indulgentiarum quæstor merces suas magnis cum encomiis pro concione exponere, verum populus mox undiquaque armis concurrens, quæstorem illum captum curru imponebat, adjunctis ipsi publicis quibusdam meretricibus, quarum mammis Papales indulgentiæ suspensæ erant, atque ita cundem per totam urbem Pragensem vicatim circumducebat ac ostentui habebat, tandem indulgentiarum Bullas publice concremabat. Nec minus in Gallia indulgentiis hæc contradicendum. Non modo enim Facultas theologica Parisiensis impudentiæ Indulgentiarum Clementis VI, se se opposuit; item AVENTINO teste, cum Antipapæ Urbanus VI. & Clemens VII. circa A. 1380. largissimas profunderent indulgentias, solemniter adhibitis tubis et campanis, pro more suo, Papæ erroneam sententiam Indulgentiarum Bullis comprehensam damnavit, conf. MATTH. FLACII Catalog. Test. Verit. n. 348 p. 791. Verum etiam particulares in ea Doctores contra illas insurrexere. JOH. GERSON Academiæ Parisiensis Cancellarius quantum duxerit Papales indulgentias satis indicant hæc ejus verba: *In indulgentiarum concessio per tot millia nedum dierum, sed annorum videtur diffusivè salvabilis post remissionem æternæ penæ et commutationem in temporalem. Nam in foro Ecclesiæ homo non obligatur ad penitentiam tot annorum: neque in judicio Dei, quia purgatorium in ultimo judicio cessabit. Fatue igitur sunt & superstitiosæ quædam inticulationes 10000 annorum qui dixerit quinque Pater Noster ante talem imaginem, Tract. de Indulgent. c. 7. Similiter WESSELUS Grœningensis Parisiis in Theologia Magister noster inter alios Papatus abusus & indulgentiarum negotiationem scriptis pariter ac voce satis acriter*

ter reprehendit, ut inde et Magistri contradictionis nomen reportarit, quin solum vertere justus. Hic in Epist. ad Engelbertum quendam ita scribit: *Cum Doctores à principio consteantur solum Deum peccata remittere indulgentiarum confugiunt ad pœnas, quoniam mitior ibi mensiendi locus, cum tamen theologica regula sit: Nil debere fideles asserere, quod non in regula fidei contineatur. Nullum autem locum Scriptura dabit, ubi pœnarum, pro peccatis præteritis & prorsus dimissis debitarum iudicium in Papæ arbitrium referatur. Ego valde rite eubanter dictum puto, ut alicui peccata remissa sint, & adhuc nulla in conspectu Dei. Quomodo enim testis, quæ adhuc imputantur? quomodo vero non imputantur, quando puniuntur? Dominus forte dimisit, ut Papa retineret ad pœnam? Item: Ubi stabilitas hanc determinatam Christi voluntatem, ut unum atque idem opus indulgentiale nunc sex annos valeat, nunc septem, nunc septingentos, nunc septem millia, nunc plenariam indulgentiam? Pariter in Epist. responsoria ad Jac. Hœck p. 876. c. 1. Num igitur tibi leves aut futiles cause videntur, quibus ab hac nova indulgentiarum assertione Patres antea Albertum ac Thomam (ut ipsi scribo testantur) discesserunt, asserentes nihil esse, nisi piam fraudem ac dolum non malum, quo plebs officioso errore trahatur ad pietatem? Non ergo temporibus illis omnes credebant, neque qui sincera sollicitudine verum querebant, hæretici fuerunt Habebat autem Wesseli exilium ac proscriptio hunc salutarem fructum ut & in Germania, quo ipse devenerat, indulgentiarum utilitas innotesceret, operam suam hic commodante Doctore JOH. DE WESSALIA, primum Doctore in Schola Erfordiensis, postea Concionatore Wormatiensi, qui teste WIMPINA Lib. Sectarum &c. fol. 34. inter reliquos articulos & hunc pro concione coram omni populo traiecit: Papam & alios Prælatos non posse è thesauro Ecclesiæ compensationes pœnarum pro delictis debitarum per indulgentias aliis distribuere & applicare. Atque ideo Ecclesiæ dando indulgentias plus nocere, quam prodesse. BZOVIVS ad A. 1479. n. 8. T. XVIII. p. 159. è Tutheimii Chronico narrat eundem statuisse: Indulgentias nihil aliud esse, quam pias fraudes & deceptiones Christianorum, eosque stultos esse & fatuos, qui pro indulgentiis Romam peterent, quas domi sibi essent usque coneriti de peccatis suis cum emendandi proposito, invenire*

potuissent. Posthac Florentiæ HIERONYM. SAVANOROLA Monachus Dominicanus indulgentias Papales damnavit, flammam autem præmi loco reportans. Vid. FLACIUS l. c. n. 396. p. 825. Erphordiæ iuravit SEBASTIANUS Canonicus Erphordiensis Theologiz Doctor, qui A. 1508. Dom. post Judica Romanas indulgentias tunc eo allatis suis auditoribus propositurus in hæc præclara prorupit verba: Lieben Freunde wir solten heute auf den weissen Sontag unsern Kram auslegen. Es ist aber ein frembder Krämer hier / der sol besser Wahr haben denn wir. Wenn der hinweg komt / so wollen wir mit unser Krämeren auch kommen. In ipsa autem concione illos, qui aliorum satisfacti-nes ac bona opera pecunia emere soliti erant graviter redarguit, FLACIUS l. c. n. 399. p. 827. qui in subsequenti- bus geminos alios a huc veritatis testes adducit, NIC. RUS, Sacerdotem & D. PFENNIG Concionatorem Naumburgensem n. 421. & 422. p. 840. sequi. Notari hic etiam merentur versus isti, quos autor Hortuli rosarum de A. 1443. exhibet:

*Omnia sunt nulla, Rex, Papa, plumbea Bulla;  
Cunctorum finis, mors, vermis, omnia cinis.*

Quomodo denique & totæ Nationes super hæc re conquestæ fuerint, & gravaminibus Nationis Germanicæ Maximiliano Imperatori paulo ante Reformationem oblatis, in specie gravam. X. supra §. XXIX adducto manificetum.

§. XXXIV.

Strenue quamvis hi omnes se se indulgentiarum nundinationibus ac imposturis opponerent, nemo tamen hæcenus tantum effecerat, ut Indulgentiæ ex Ecclesia prosciberentur, quia omnes vel fraudibus ac dolis, vel vi supprimebantur. Donec appropinquante termino tum illis, tum toti regno Papæ fatali B. LUTHERUS Zelo divino concitatus impudentissimos trapezitas aggrediretur. Et quamvis ab initio non auderet totam de indulgentiis doctrinam subvertere, sed de enormibus saltem excessibus partim apud Episcopos, Moguntinum & Brandenburgensem, partim Pontificem ipsum Leonem X. conquereretur, petens ut

quæ-

quæstorum impudentia cohiberetur; In disputationem quoque, propositis hac de re quibusdam thesibus, A. 1517. adduceret, postea tamen cernens frustra medelam ab Episcopis ac Papa expectari ac sperari, quin approbare Curiam Romanam illa omnia; toto item negotio ad amussim unicam veritatis, Scripturam S. examinato, voce ac scriptis oppugnavit, successu adeo felici, ut quod sub initium, si non omnibus, plurimis tamen, videbatur irritum ac frustraneum, brevi tempore indulgentiarum imposturæ toti orbi Christiano detegerentur ac nummulariorum mensuræ non vi aut armis, sed solo spiritus gladio subversæ per se conciderent. Vid. SECKENDORFFIUM in historia Lutheranismi. Lutherum biennio post A. 1519. in Helvetia secutus HULDERICUS ZWINGLIUS Bernh. Samsoni ibidem merces suas impudentissime vendenti se se opponens, sicque simul salutare Reformationis opus illic incipiens. Conf. HOTTINGER. Hodeg. P. III. p. 459. Quodsi jam ante Lutherum tot contra indulgentias exsistere veritatis testes, mirum sane non erit earum nullitate jam adeo clare proposita, & postea eas fuisse impugnatas. Audiamus de eo ERASMIUM Roterod. *Tu forte sigillis cereis aut pecuniola aut peregrinatioanacula elui culpas credis. Tota erras via. Intus acceptum est vulnus, intus pharmacum admoveatur necesse est. Nihil moror quid exhibeas foris, inquit in Milite Christiano p. 67.* Sic & in Colloquiis suis plus simplici vice eas false ridet. Unum saltem exscribam locum è Colloquio quod inscribitur: *de vocis temere susceptis.* Ubi circa finem p. m. 26. alter colloquutorum Arnoldus tertium comitum suorum in itinere religioso Romam versus vocat nugatorem maximum, quod habuerit peram indulgentiis largissimis distentam, Regeit Cor. Audior Sed iter est longum in cælum, nec satis, ut audio, tutum ob latrunculos, qui obsident regionem aeris mediam. Ar. Verum; Sed ille sat erat munitus diplomatibus. Cor. Qua lingua descriptis? Ar. Romana. Cor. In tuto est igitur? Ar. Est, nisi forte incidat in genium aliquem, qui latine nesciat: tum esset illi redeundum Romam & novum diploma impetrandum. Cor. Bullæ venduntur illic & mortuis? Ar. Maxime. Cor. Sed interim illud mihi moneadus es, ne quid effutias incoegitantius. Jam enim Coricæis plena sunt omnia. Ar. Ego vero nil elevo indulgentias: sed combibonis mei stultitiam rideo, qui quum esset alioqui nugator nugacissimus, salutis suæ proram, ut ajunt,

ac puppim in membrana collocavit potius quam in correctis affectibus.

§. XXXVI.

Est denique multum ponderis in refellendis adversariis in propria eorum confessione situm & inde quoque *Quinto* Pontificios convincere possumus. Concedunt, minimum cordatores, veritatis luce convicti, indulgentias suas adeoque & earum Bullas, nullum vel in Scriptura S. vel in primæva antiquitate habere fundamentum DURAND. in VI Sentent. Dist. 20. qu. 3. ita hac de re scribit: *De Indulgentiis pascha dici possunt per certitudinem, quia nec Scriptura expresse de iis loquitur. Quod enim dictum est Petro Matth. XVI. Tibi dabo claves regni caelorum & quodcumque ligaveris &c. intelligitur de potestate ei data in foro penitentiae. De collatione autem indulgentiarum non est quomodo debeat intelligi. Sancti enim, Ambrosius, Hilarius, Augustinus, Hieronymus minime loquuntur de indulgentiis. Cardinalis CAJETANUS Opusc. L. XV. c. 1. De ortu Indulgentiarum si certitudo haberi possit, veritati indaganda opem ferret: Verum quia nulla Scriptura Sacra, nulla priscorum Doctorum, Latinorum aut Græcorum auctoritas scripta, hunc ad nostram deduxit notitiam; sed hoc solum à trecentis annis Scriptura commendatum est de veteris Patribus, quod B. Gregorius indulgentias stationum instituit. JAC. ANGULAR, magus Indulgentiarum patronus ad Wesselson in Farrag. p. 102. Verum est de Indulgentiis nil expresse ex S. Scriptura haberi, nihil de ipsis veteres scripsisse Doctores, quanquam Gregorius dicatur (quod nusquam tamen legi) septennes Romanis in stationibus indulgentias collocasse. FISCHERUS Episcopus Roffensis Opusc. contra Lutherum scripto art. 13. Multos fortasse mover, indulgentiis non multum fidei, quod earum usus in Ecclesia videatur fuisse recentior & admodum sero repertus apud Christianos, quibus ego respondeo, non certo constare à quo primum radii ceperunt. De purgatorio apud priscos nulla, vel rarissima fiebat mentio. Sed & Græcis ad hunc usque diem non est creditum purgatorium esse. Nec iam necessaria fuit sive Purgatorii, sive Indulgentiarum fides in primitiva Ecclesia atque nunc est. Quamdiu nulla fuerat de purgatorio cura, nemo quaesivit indulgentias. Nam*



ex illo pendet omnis indulgentiarum existimatio. Si tollas purgatorium, quorsum indulgentiis opus erit? Quum itaque Purgatorium tam sero cognitum ac receptum fuerit uniuersae Ecclesiae, quis iam de indulgentiis mirari potest, quod in principio nascentis Ecclesiae nullus fuerat earum usus? ANTONIUS P. 1. Summae tit. 10. c. 3. De indulgentiis nihil expresse habemus in S. Scriptura, nec etiam ex dictis antiquorum, sed modernorum. ALPHONSUS DE CASTRO Lib. VIII. adv. Haereses Voc. Indulgentiæ. Adversus hunc errorem paucis verbis contendam, quoniam inter omnes res, de quibus in hoc opere disputamus, nulla est, quam minus aperte sacrae litera prodiderint, & de qua minus vetusti scriptores dixerint. Neque tamen hac occasione sunt contemnenda, quod earum usus in Ecclesia sero videatur receptus, quoniam multa sunt posterioribus nota, quae vetusti illi scriptores prorsus ignoraverunt. Ad ductis jam instantia loco doctrinis de Transubstantiatione ac purgatorio, addit: Quid mirum si apud priscos nulla sit de indulgentiis mentio? Sic & GREGORIUS DE VALENTIA c. 4. de Indulgent. largitur, quod non ita expresse ostendatur in Scripturis ipsum indulgentiæ nomen: Et quod non ita aperte, frequenter & in specie, res etiam ipsa indulgentiarum à veteribus commemoretur. Similiter PETRUS à SOTO Instruct. Sacerd. Lect. 1. de Indulg. p. 243. concedit, Non solum non esse aperta Scripturae testimonia de Indulgentiis, suosque monet Catholicos, ne minus certis inuitantur; sed addit insuper: se antiquae & primitivae Ecclesiae non habere certa testimonia, traditionem Apostolicam se in hac re non habere. POLYD. VERGIL. de Res. Invent. Lib. VIII. c. 1. p. 526. Veniarum, quas indulgentias vocant, iam tum usus celebris esse cepit: quae quae de causis, quae ex auctoritate inducta fuerint in Ecclesiam Dei, aut quantum valere videantur, nostri recentiores theologo de ea re egregie laborant. Ego vero originem, quod mei est muneris, queritans, non reperio ante se fuisse, quod sciam, quam D. Gregorius ad suas stationes id praemii proposuerit. Quapropter in re parum perspicua utar testimonio Johannis Rossensis Episcopi. Hoc adducto notanter concludit: Hac ille: quae tu forte cum tanti sine momenti ut magis certa ex ore Dei expectabas. Addi possent plura alia; Verum adducta iam abunde comprobant quod probandum erat. Id tamen adhuc notetur, aliter hac

de re locutus esse antiquos ante motum super hac re certamen, aliter post illud viventes. Magis Ingenua Pontificiorum erat confessio, quam vel primis annis, vel certamine ad tantam contentionis pertinaciam nondum everso, edidere, quam jam est, ubi quidam eorum ægre ferunt *Carbolicos quosdam tam viride, frigide, sobrie, varie, ambigue de indulgentiis scripsisse, quasi earum aut incerta sit, aut longe posita ratio, ut ut difficulter admodum probari queat, ut loquitur CUNERUS.* Alii adeo audaces facti, ut nil in Ecclesia indulgentiis antiquius clament. *Nec obstat, quod non habemus testimonia manifesta, quod Episcopi ante tempus Gregorii has indulgentias concederent: Nam credendum est, quod eas concedebant; sed non ita frequenter, quia ante tempora illa fideles non poterant convenire ita solenniter & publice, sicut modo - & adeo erant perfecti omnes Christiani, quod ipsis indulgentiis non indigebant, sicut & nunc, inquit JACOB. DE GRAFF. Decif. aurear. Append. Lib. II. c. 3. Sed vani omnes isti clamores. Coguntur vel nolentes concedere nullum solidum ex antiquitate pura pro indulgentiis adferri posse argumentum. Cum itaque concedente ipso ALPH. à CASTRO l. c. Ipsa doctrinae novitas de se sit suspecta, quoniam Christus & Apostoli ejus sufficientem doctrinam ad vitam æternam consequendam dederunt: Nec post Legem à Christo datam sit alia Lex iterum à Deo danda, quoniam testamentum hoc est æternum. Si ergo aliquid novi nunc predicetur, cujus nec vestigium haberetur reliquum in Ecclesia ab Apostolis usque ad hunc diem, ipsa rei novitate esset suspectum, quoniam tunc oporteret fateri, Apostolos non perfecte aut sufficienter predicasse Evangelium, Ecclesiamque quam docendam Spiritus S suscepit, tam longo tempore fuisse in tenebris ignorantie; Ipsi adversarii vero doctrinae lux novitatem celare nequeant; Desinant quæso eam ut antiquam proclamare ac celebrare.*

### §. XXXVII.

Restat ut eorum rationes, quas pro stabilienda sua sententia adducunt breviter discutiamus. Non opus tamen, ut vel ad exemplum Pauli incestuoso ex Ecclesia Corinthiaca everso, nunc vero seriam agenti penitentiam condonantis 2. Cor. II, re, vel Tertull. ac Cypriani

ni testimonia; vel Concilii Nicæni, Ancyran aut Laodicensi con-  
 stituciones: vel etiam Basili conones, ad quæ omnia primo confugit  
 BELLARM. Lib. 1. de Indulg. c. 3. quidquam amplius hic rogeramus, cum  
 supera jam §. VII. & subsequentibus abunde demonstratum sit nullum  
 in hisce patrocinium pro indulgentiis Papæis inventiri, ignorasse eas &  
 Apostolorum & subsequentia tempora, quin aliud quid plane fuisse  
 veterum relaxationes, poenarumque mitigationes. Similiter & ad argumen-  
 ta à stationibus Gregorii M. item Leonis III. ac Sergii II. petita §. XXII-  
 XXV. responsum. Cœtera ergo introspiciamus. Provocat porro  
 BELLARM. l. c. ad Concilia Ecclesiæ Catholicæ generalia, in quibus  
 Indulgentia leguntur vel concessæ, vel approbata, qualia Claromon-  
 tanum, Lateranense, Lugdunense, Viennense, Constantiense ac Tri-  
 dentinum, ac opinatur argumentum ab auctoritate tot generalium Con-  
 cilliorum deductum revera gravissimum esse, quamvis ab Hæreticis sui  
 temporis contemnatur. Verum I. ex iis omnibus nihil contra nos pro-  
 bari potest, cum cuncta hæc Concilia Seculum XI. non transcendant.  
 2. Esse hæc Concilia generalia falsum, cum nec ex omnibus Christi ni  
 orbis provinciis hic quidam convenerint, nec eorum decreta ab universa  
 Ecclesia recepta sint. Romana autem Ecclesia Catholicam Ecclesiam non  
 constituit. 3. Magnam quidem & nos concilliorum decretis, maxime univer-  
 salium, tribuimus auctoritatem, tantam tamen esse negamus, ut quidquam vel  
 præter, vel contra Scripturam S. decernere possint, qualiter circa Indulgen-  
 tias in commemoratis Conciliis factum esse constat. Etenim omnis Con-  
 cilliorum auctoritas è Scriptura S. quæ sola habet infallibilitatem, prove-  
 nit. Quodcumque ergo infallibilis hæc veritatis regula defertur, con-  
 cedit omnis auctoritas. Pergit BELLARM. l. c. Catholicorum dogma-  
 tum hoc esse proprium, ut non inveniantur eorum origo, nisi ad Evan-  
 gelium vel Apostolos ascendamus. Hæresium autem semper designari  
 posse certum auctorem & locum & tempus quo prædicari coeperint. Jam  
 vero nullum hæcenus indicari potuisse auctorem indulgentiarum, neque  
 tempus quo prædicari coeperint. Omnes enim qui de indulgentiis  
 mentionem faciunt, sive Doctores sint, sive Pontifices, sive etiam Concilia,  
 ita de iis loqui, ut de re usitata & recepta. Alii non est, quod Bellar-  
 minus in hoc argumento ita gloriatur, cum potius ad refellendum eun-  
 dem faciat. Falsum non posse Indulgentiarum illarum, quas hoc loco  
 im-

impugnamus, indicari originem ac tempus. Contrarium patescet ex illis, quæ §. XX. & XXI. allata. Imo quodsi Indulgentiæ modernæ Pontificiorum toto cœlo ab antiquis in primitiva Ecclesia adhibitis differunt, uti hætenus probatum fuit, ultro ex assumptis patet, non adeo altam earum esse originem. Nec obest, quod Doctores, Pontifices & Concilla de iis, ut re usitata & recepta loquantur. Nam sunt hi adducti testes vel antiqui, vel recentiores; Si antiqui, nego eos asserere indulgentias Papæ in Ecclesia fuisse usitatas, cum primitiva Ecclesia eas ignorarit. Quod si vero recentiores, eos non moramur: nec dicere quidquam hic sufficit, sed & quod dicitur solide probandum est.

## § XXXVIII.

Alii iterum sic ad incitas redacti concedunt quidem hodiernas indulgentias ab antiquis discrepare, esse tamen earum usum antiquissimum asserunt: Habere item Pontificem R. hanc potestatem, ut pro hominum ac temporum diversitate eas immutare possit. Eo tendunt illa PAPEBROCHII in Resp. ad Exhibit. Seb. à S. Paulo P. II. art. XIV. n. 22: *Alius, inquit, Reverende Pater error tuus est, nescio annon voluntarius, quod inter indulgentias simpliciter alicui persone concessas & concessas piis locis, aut ea visitantibus, aut per eleemosynas juvantibus non distinguas. Certum est indulgentiarum usum existisse à primis Ecclesie temporibus, sed concessarum personis ad earum preces aliorumque pro iis intercessionibus. Piis autem locis ab initio affixas aut omnibus ea visitantibus, aut etiam per eleemosynas juvantibus concessas fuisse, primis Ecclesie Seculis, velim tibi legitimis testimoniis probari. Nolim tamen propterea in dubium revocari, quin ea subsequenter seculis recte concessæ sint; cum omnes probi Catholicæ agnoscant amplissimam à Christo vicariis suis circa peccatorum & pœnarum etiam temporalium remissionem concessam esse potestatem. Usus vero potestatis illius varius esse potest, pro temporum, personarum, aliarumque circumstantiarum diversitate & ex Ecclesie iudicio mutari etiam potest. Similia habet n. 90. ubi postquam monuisset, quam graviter S. Cyprianus nonnullos Presbyteros in concedenda lapsis pace nimium faciles taxavit, hæc subdit: *Erat hæc sine dubio**

bio aliqua indulgentiæ Ecclesiæ species, licet illa non nominaretur, primitivæ Ecclesiæ usitata; sed diversissima apud Afros ab ea, de qua nunc agimus, quamque antonomastice vocamus Indulgentiam: satis tamen erat ad probandum quod ad h. l. notat Mendoza, non recentem ut calumniantur heretici) sed antiquissimum esse indulgentiarum usum, nec ad Gregorii I. ut nonnulli volunt, sed multo alius repetendam earum originem. Sumendo scilicet nomen indulgentiæ in sua generica notione, pro qualicunque aut quomodocunque facta relaxatione poenitentiae ab Ecclesiâ inflictæ vel infligendæ post mortem ipsorum martyrum. Sic autem relaxabatur etiam poena alias infligenda, ut supra è S. Thoma probatum est, quo sensu veterrimum esse usum indulgentiarum. Ego dico & sentiunt Catholici omnes, negantibus id hereticis, talemque in Ecclesiâ vel Pontifice potestatem divinitus concessam, agnoscere recusantibus. Verum in utraque petitur rō èv ἀρχῆ. In initio saltem hodiernas indulgentias Pontificias ab illis, quæ quondam in Ecclesiâ fuerunt in usu, posse deduci. Nam vel ipse Papebrochius, cumque eo alii seniores inter Pontificios, agnoscunt insignem utrarumque indulgentiarum diversitatem, quin & novam earum originem pandunt. Qui igitur & quod alienum plane & novum indulgentiarum genus originem suam ab isto antiquo repetet? Nec valet consequentia: Vocabulum indulgentiæ hic vel illic in generica sua notione ab antiquis sumitur, ergo hodiernæ indulgentiæ ab illis descendunt, earumque usus antiquissimus. Sunt quidem nomina communia, res vero plane diversæ. Istic indulgentiæ, concedente Papebrochio, erant qualescunque ac quomodocunque factæ poenitentiae ab Ecclesiâ inflictæ aut infligendæ relaxationes; hic sunt condonationes poenæ temporalis Deo debitæ per applicationem satisfactionum è thesauro Ecclesiæ. Uti nec in eo Papebrochius convenientiam moderatarum indulgentiarum cum antiquis demonstrasse censendus, eum dicit, sic è S. Thoma probasse, relaxatam antiquitus fuisse etiam poenam alias infligendam post mortem ipsorum martyrum. Etenim poena post mortem martyris poenitenti relaxata, non erat poena. Deo debita exsolvenda poenitenti vel in hac vita, vel post mortem in purgatorio, qualis hodie est. Sed poena juxta Disciplinæ Ec-

clesie canones poenitenti inflida, qua Ecclesia scandalizata satisfacere tenebatur, quae tamen non prius in eo relaxabatur, quam post martyris, qui pro eo mediante libello supplicii intercesserat, mortem, conf. S. XIII. Quod si autem Papebrochius cum Thoma poenae hic intelligat post mortem peccatoris infligendae relaxationem, id praesupponit, quod oppido falsum, nec ex antiquitate genuina probari potest. Secundo & istud omnino falsum, esse in Pontifice Rom. eam potestatem, ut ita pro lubitu ob hominum aut temporum diversitatem indulgentias immutare possit. Potest quidem Ecclesia circa poenitentiam publicam ac externam disponere, prout videt & sibi et poenitentibus id conducere; at contra Scripturam hic nil potest ordinare, multo minus Papa. Ordinatur autem contra Scripturam, cum post remissam culpam poenam Deo debitam infligit, ac inflictam relaxat: Cum item alienas poenitentiae applicat satisfactiones, Scriptura unicam tantum agnoscente satisfactionem Jesu Christi: Nec non commentitium Ecclesiae thesaurum obtrudit. Non sic facere consuevit sponsa Christi; quippe vocem sponsi sui tantummodo audiens eamque sequens. Aut anne potestas remittendi peccata Matth. XVI, 19. potestas poenas Deo debitas post remissam culpam per applicationem satisfactionum è thesauro Ecclesiae de promptuarum relaxandi? Desinat Papa id sibi vindicare, quod nusquam ei à Christo concessum, nisi iniqui villici incurrere velit notam. Desinant et reliqui Papae veneratores Antiquitatem crepare, ubi nil minus quam Antiquorum sequuntur vestigia,

154071

AB: 154071


ULB Halle 3  
003 902 811




82

1078  
Vb 17









*h*

DISPUTATIO HISTORICO-THEOLOGICA  
TERTIA ET ULTIMA  
DE  
**BULLARUM  
INDULGENTIARUM  
PONTIFICIARUM  
ANTIQUITATE FVCATA,**

Quam  
DIVINA INDVLGENTE GRATIA,  
*Venerandæ Facultatis Theologicæ consensu,*  
In inclyta Academia Patria  
SUB PRÆSIDIO  
**JOHANNIS BEHM,**

S. Theol. Doct. & Prof. Extraord. Græc. Ling. Ordin.  
PLACIDÆ ERUDITORUM CENSURÆ  
*exponit*

**JOHANN. CHRISTOPH. DOBLIN,**  
Hollandia Pruss. Phil. & S. Theol. Stud.  
IN AUDITORIO MAJORI.

*A. M. DCC XXIII. die 16 Jun.*

---

REGIOMONTI, Typis ZÆNCKERIANIS.

